
... Stanislaus
...oltański Adalb. Joach. Sensim ex an...
virtutibus ac meritis.



SENIUM
Ex annis, virtutibus, ac meritis,
Perillustris olim Clarissimi & Admodum Reverendi Domini,
M. STANISLAI PHILIPPOWICZ,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, COLLEGÆ MAJORIS, Ejusdemq; COLLEGII ac totius UNIVERSITATIS SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum Collegiatarum, Insignis Sancti FLORIANI ad Cracoviam DECANI, Cureloviensis SCHOLASTICI, Parochialis in Przemykow PRÆPOSITI, in Igołomia CURATI, Contubernii Hierosolymitani & Alumnatûs Roszczeviani PROVISORIS.

seræ posteritati
VENERANDUM.
& dum Ei
in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ
justa funeralia cum maximo Ordinum Academicorum dolore persolverentur.

à
M. ADALBERTO JOACHIMO FOLTANSKI,
Philosophiæ DOCTORE ejusdemq; Regio ac Tyliciano Eloquentiæ PROFESSORE, COLLEGA MAIORE, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICO.

reverentialiter
EXPLICATUM.
Anno in senio Mundi 1760. Die 5. Julii.

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS.

SENIUM
Ex annis, virtutibus ac meritis.
VENERANDUM.

Habenda ſemper ſenii ratio,

quod omni Lege titulôq; cavetur.

Cur quæſo amabo!

à ſenio dictum nomen Senatus habet;

Non eſt nuda vox dicere;

Hos Purpuratos Patres, Illos Togatos Proceres,

Uniuscujusq; promerita, in denominationis abeunt conſequentiā.

Unum tantùm legimus Papyrium

In conſeſſu Orbis & Urbis ſediſſe Quiritum;

ſed trecentos numeramus Fabios,

Quos Senatûs populiq; Romani edictô dicimus Cunctatores.

Et exinde liquet.

quomodo omni ætate

Annîs, virtutibûs, atq; meritîs grandævum Senium.

Eſt, ſit, fueritq;

VENERANDUM.

Non adduco hic in teſtimonium Macedones,

qui (*juxta Eraſmum ex Curtio,*) Senes Regia donabant Sellâ.

In Horologio Principum legimus,

eam apud Sparthanos latam fuiſſe legem,

ut publicîs etiam alerentur ſumptibûs.

qui per annorum, atq; meritorum gradus,

ad venerandum vetuſtati perveniſſent ſenium.

Commu-

Commune quidē omnibus fatum est vivere:
ex annis, virtutibus, ac meritis habere ſenium,
non unicuiq; collatum atq; promeritum Cæli beneficium.
Meruit hoc Superûm favore ac virtute propria
Rerum Academicarum *Stator*,
Reipublicæ Literariæ *Conſus*,
Boni Communis *Propugnator*.
PERILLUSTRIS olim
M. STANISLAUS
PHILIPPOWICZ,
Univerſitatis & Collegii Majoris
SENIOR PATER.
Hic grandævus *Neſtor*,
quos vixit, vixit non ſibi annos,
nec ſibi in plenitudine dierum obiit.
Dolent ſuper fatis Tanti PATRIS Muſæ Jagellonicæ,
eruditorum ſuper magna ſui jactura conqueritur Cætus,
Regnum Literarium Quem & Qualem amiſerit Civem?
ipſa longo tempore docebunt fata.
In hac Regni Schola
ipsîs, ad hoc uſq; Senium, enutritus laboribûs
primam, (natus ad labores) in otio non exegit juventam.
Diſcretiores ætatis cùm permiſiſſent anni,
ludicra vertendo in ſeria, curavit ſeriò,
quod ſerò in ſui Senio eſſe voluiſſet.
Humanioribus ſedulam dando operam ſtudiis
didicit ea demum,
quæ ad Divinarum humanarumq; cognitionem rerum referuntur,
Annô ſupra milleſimum ſeptingenteſimo undecimo
ad primam in Philoſophia & Artibus Liberalibus promotus Laureā.
A2 ut nulli

ut nulli eripuit palmam
ſic nemini porrexit herbam.

Enimvero,

ad quævis maxima natæ indolis teſtimonium
inter æqualium excellere ingenia
& currere, & bravium comprehendere.

Pluſquam bienniô, multa tulit, ſudavit, & alſit,
priuſquam Jagellonicæ Palladi Doctorali deſponſaretur annulô.

Omnes ex animo complexus ſcientias,
Illis præcipuè ſedulam operam dedit Artibus,
quæ ſiderum curſus, & recurſus,
quæ fontium, fluminum, atq; Maris fluxus & refluxus,
quæ Regionum ſitum,
atq; quidquid ſupra Solem atq; infra Lunam eſt,
ſtatum, ordinem, & priſtinum chaôs recognoſcunt.

Aliàs

Divinæ intentus Matheſi
quidquid è Lycæo *Platonis* collegerat,
quidquid in Stoa & Porticu *Ariſtotelis* didicerat,
id totum Regias inter Muſas,
non ſine laborum præmiſſis dedicaverat *Ptolomæo.*

Statione in Academica,

quam uſq; ad hoc ſenium indefeſſus non deſeruit Athleta,
nunquam egit ſtationarium.

Herculeos Ejus omnes fuiſſe greſſus,
ſi informe poſſent attollere caput,
tot profligata ignorantiæ dicerent monſtra!
toties proſtratus loqueretur vel invitè ignorantiæ hoſtis.
Omnem laboris Academici Spartham, quam ſuſceperat,
ſatis ornavit ad gloriam,
in qua ut ſemper vixit glorioſus,
ita obiit & in ſui ſenio venerandus.

Quid

Quid velint sibi?
Horum qui jure suo vulgo excipiuntur,
à fortuna, casu, sive electione Insignia,
non ne occulta quodam modo sunt signa
rerum ac Personarum
ad quævis Maxima in suo Magistratu signatarum:
PERILLUSTRIS olim
Universitatis & Collegii Majoris
SENIOR PATER.
In fundamento Legum & Privilegiorum
Almæ Universitatis nostræ
in Poloniarum Regno eiq; adjacentibus Provinciis,
à Sede Apostolica, Serenissimis Regibus, & Senatorio atq;
Equestri, Ordinibus concessorum,
quod in præmium eruditæ virtutis elegit *Stemma*
illud ambabûs (si fas dicere) manibûs ad mortem detinuit.
Memor illius Academici,
quousq; in vita, hucusq; in Tabula,
Circa ad Magistratûs Gradum sui Licentiaturam,
manum supra Librum positam,
verè Vir Academicus, pro suo sumpsit Insigni:
Quid mirum!
quod multis gesserit scribenda,
& non uni reliquerit agenda.
Academicæ Institutioni commissam Juventutem,
ad Infulas & Senatorias erudivit Curules.
sapientiâ ac meritis utramquè implevit Poloniam!
non uni etenim natus fuit angulo.
In Posnaniensi Academia Philosophiæ PROFESSOR,
non ignota laborum suorum reliquit documenta,
In Domum Minorem vocatus,
& suæ vocationi, & præconceptæ de se respondit spei.

Majora in dies merita
Majoris Collegii Patrum coronavit unio;
dum ad capeſſendum promeritum ſibi vocavit Locum.
Gemina vice Artiſtarum DECANUS
repetitîs eum Magiſtratum adminiſtravit vicibûs,
qui ſemel ſufficit, ad ſat, ſatiſq; oneris.
In Philoſophica Facultate,
REGENS Regiusq; PROFESSOR,
inferioribus & præfuit, & profuit ſubjectis.
Vix Homeri comprehenderet Ilias hæc geſta,
quibûs *Decanales* ſunt pleni *Libri.*
Academicæ Vocationis vi,
ſemper curavit legere,
quoties turnus tetigerat domi diſputare,
foris requiſitus eruditis adeſſe actibus,
eoſq; abſolvere atq; exornare.
Per Ariſtotelicum Eurippum,
plures ad promontorium devexit & Laureas,
quas probatæ eruditionis Capitibus,
Suîs ipſe toties PROMOTOR, impoſuit manibûs.
Philoſophus, Mathematicus, Geometra,
quas tenerioribus ab annis didicereat Artes,
ab his & in ſui ſenio non receſſit,
Ad Theologicam aſſumptus Facultatem,
quà dicendo, ſcribendo, docendovè,
nec ungve receſſit
à graviſſimo Angelici DOCTORIS ſenſu.
Nuper Ariſtotelem ad mentem explicuit THOMÆ,
in Cathedra Theologica,
in fundamento *Thomiſtico - Ariſtotelicæ Philoſophiæ,*
juxta genuinum ſenſum,
Ipſum interpretabatur THOMAM.
Per omnes in UNIVERSITATE procedendo Grado,
publicè

publicè docendo,
Bonum Commune, quà domi, quà foris promovendo,
rationalis, naturalis atq; supernaturalis scientiæ,
juxta vocationem, & senium absolvendo Cursus,
in Sacra Theologia,
Doctoralem ex merito obtinuit Coronam.
Ut præmii hujus ita & laboris condigni,
æquè participes ac testes habuit,
nunquam satis ad gloriam post fata memorandos,
SZYMAKOVIOS, PAŁASZOVIOS,
Viros de Literis ac Literatis optimè meritos,
quos Sacræ Theologiæ DOCTORES una fecerat dies.
E Quorum ades numero
sufficienti nunquam celebrandus elogiô,
pro Nominis ac Meritorum Dignitate
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME
M. ADALBERTE ANTONI,
G R Z Y M A Ł A,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR,
COLLEGA MAJOR, Ejusdemq; Col: ac Universit:
SENIOR PATER, Ecclesiæ Cathedr: Cracoviensis
CANONICE, &c:
Si quovis è fonte volumus perfectionem exprimere,
illam ut octo dicimus
millesimum, septingentesimo, quadragesimum octavo,
includendo Annum,
PERILLUSTRIS olim
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR,
è manibus

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI olim

M. MATHIÆ ZIĘTKIEWICZ,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS,

Ejuſdemq; Facultatis DECANI,

Collegii Majoris SENIORIS PATRIS,

Eccleſiarum Cathedralis Cracovienſis CANONICI,

Collegiatæ SS. OO. & Parochialium in Zarnowiec PRÆPOSITI,

Doctoralem *in Sacra Theologia* Lauream,

non ſine arcano quodam myſterio

quartum circa prope annorum receperat luſtrum.

Nempe

in Cathedra Theologica,

octodecem annis DOCTOR & PROFESSOR,

quod rarum ex Annis, virtutibus ac meritis

ad illud tandem devenit Senium

quod ſeræ poſteritati eſt

V E N E R A N D U M.

Generalis, Univerſitatis pluribûs annîs PROCURATOR,

Commune privato prætulit Bonum.

Pro Juribus & immunitatibus Academicis

quantus fuerit Zelator,

docent, docereq; poterint ipſa in hoc munere geſta.

Contubernii Starnigeliani PROVISOR,

concernentes illud vindicavit Cenſus,

Alumnos etiam de proprio aluit'

hocq; ut hiſce videmus oculîs, reparavit.

Dicerem, ſcriberem typiſq; mandarem plura

ni illud ex illius etiam regulis noverim,

quod facit dextera neſciat ſiniſtra.

Et ideo, ſub roſa ſilentii ſervo,

liberalitatem ejus in Aras,

muni-

munificentiam in pauperes,
Etiam muti Ecclesiarum loqvuntur parietes,
quomodo decorem Domûs DEI dilexerit.
Sacra Divi FLORIANI ad Cracoviam Basilica,
post sui nuper conflagrationem,
Ejus majori ex parte reparata impensîs,
per quem in pristino sui steterit statu,
Erit stans Nominis laus STANISLAI.
Resonabunt post dolenda semper fata,
sui Authoris gesta
Majores ad hanc Sacram Ædem Campanæ,
Qui omnia in vita sui facta,
ad popularem tubâ non canebat auram,
Pro Juribus & immunitate UNIVERSITATIS,
quantum ad senium zelaverit,
nulla ætate obliterari poterit.
SZANIAVIO, LIPSCIO,
atq; nuper cum maximo Ecclesiæ & Patriæ dolore defuncto,
Z A Ł V S C I O,
EPISCOPIS CRACOVIENSIBUS,
& Universitatis CANCELLARIIS faventissimis
acceptatissimus fuerat.
B. JOANNIS CANTII
Regni Scholæ PATRIARCHÆ,
Canonizationis PROCURATOR,
in Divi Hujus Causa, quæ gesserit,
scit Orbis & Urbium Caput *Roma.*
Generalis Universitatis toties RECTOR,
Theologicæ, Juridicæ aliarũq; Facultatũ PROCANCELLARIUS.
Academicis Ordinibus & præfuit, & profuit.

Ex annis, virtutibus, ac meritis,
grandævum nactus ſenium
& licetſi (ut dicitur) ceu uno in ſepulchro fuerit pede,
viâ tamen Academici procedebat laboris,
Quem non fractæ à Cathedra vires,
non aliqua à ſolitis Functionibus exceptio
vel retardare, vel potuit retrahere.
E labore manuum ſuarum quidquid habuerit,
in communes (ut taceam Superis notas) erogavit expenſas.
Ejus curâ, ſolicitudine, ac munificentiâ,
Hieroſolymitanum Contubernium ad meliorem redactum ſtatum.
Clariſſimorum DD. MEDICORUM Lapidea reſtaurata,
Academico Diœceſanum SEMINARIUM renovatum,
in Eccleſia Collegiata S. ANNÆ
erectꝰ, dotatátꝰ, atq; in debitum diſpoſitꝰ ordinem Capellæ Chorꝰ
Devota ſemper ſuis antiquitas,
Quos annis, virtutibus, ac meritis graves conſpexit Viros,
illis mauſolæa, Pyramides, atq; Columnas extruere ſuevit.
Meretur hoc ad præſens venerandum Senium
PERILLUSTRIS olim
Univerſitatis ac Collegii Majoris
SENIORIS PATRIS
Qui Septuagenarium ſupra procedendo annum,
æquè dierum ac meritorum obiit plenus.
Me ipſum ſtatuo Teſtem,
quomodo poſt bonum certamen,
poſt fidem ſervatam, curſum conſummatum,
ad illam, (quam unicuiq; juſtus reddet Judex) aſpirabat Coronam
Omnibûs ritu Catholico munitus Sacramentîs,
inter pias preces & ſuſpiria,
Jeſu, Mariæ, & Joſeph,
ore & corde dulciſſimum repetebat Nomen,

Facto

Tacto ad ipsum agonem pectore,
o quot! & quanta dilectionis proximi dederat signa.
Tandem
sui acsi obitus præsciviſſet horam,
requisitis pridie ultimæ suæ voluntatis EXECUTORIBUS,
adstantibus (ut semper moris est) Collegis,
præsentibûs è Clero Sæculari atq; Regulari Patribûs,
in manus sui Creatoris placidissimè commendavit spiritum.
Date parentales lachrymas Ordines Academici
S E N I O R I P A T R I.
quas vel Ejus ex annis, virtutibus ac meritis extorquet,
seræ posteritati senium venerandum.
Hujus venerandæ senectuti imponis Coronam
ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME
F R A N C I S C E
de Potkana
P O T K A N S K I,
PRÆSUL Patarensis Dignissime,
Cracoviensis SUFFRAGANEE emeritissime.
Pontificias Tui Manus mille dignatur osculîs,
quibûs & deducitur, & benedicitur in Regionem vivorum.
Hic, in exportatione & funere præstitus favor,
in Patrum & filiorum totius Universitatis perennabit cordibus.
In sui obitu ipsis ut altiùs stetisset fatîs,
reliquit TE ultimæ suæ voluntatis PROTECTOREM,
Magnifice, Perillustris & Reverendissime Domine
M. S T A N I S L A E
M A M C Z Y N S K I,
Juris Utriusq; DOCTOR & PROFESSOR, Collegii Juridici
SENIOR PATER, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis
CANONICE &c: Studii Generalis Universitatis Cracoviensis
PROCANCELLARIE & RECTOR.

Noverat bene quod fuerit in vobis meritorum ſenium,
Perilluſtres Clariſſimi & Admodum Reverendi Domini,
M. ANTONI KRZANOWSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTOR & PROFESSOR, Eccleſiæ Inſignis
Collegiatæ S. FLORIANI ad Cracoviam PRÆPOSITE.
M. JOANNES RYGALSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSOR, COLLEGA MAJOR,
Ejusdemq; inſignis Eccleſiæ Collegiatæ CANONICE,
Illius EXECUTORES mæſtiſſimi,
circa Vos proinde,
& ſui, & rerum ſuarum diſpoſitionem reliquit.
Non alia ſolent eſſe *Patrum* monumenta,
niſi *Filiorum* corda,
Vivet in Univerſitatis *Corpore* poſt fata ſuperſtes,
quod ſalutarî in ſuo Senio animabat conſiliô.
Perennabit in affectibus *Domus Majoris* Collegarum,
amore PATER, zelô PROTECTOR.
Adeſte huc mæſtiſſimi Ordines Academici,
SENIOR Ille PATER,
Penes Quem, non una fuit Cœli Benedictio,
jam Vobis ultimò benedicit.
Neſcio utrum plus Matri ſuæ reliquiſſe potuerit?
quàm dum ex annis, virtutibus ac meritis,
ſeræ poſteritati reliquit Senium

VENERANDUM.







